



14

15

1743, 3.

P 293


PROGRAMMA  
 DE  
**ULTIMIS VOLUNTATIBUS**  
 EX  
 VERISIMILI MENTE TESTATORIS AD CASUS  
 INCOGITATOS EXTENDENDIS.

---

QUO  
**AD LECTIONES**  
 TAM PUBLICAS QUAM PRIVATAS  
 CUM IP SO NOVI CURRICULI INITIO  
 INCHOANDAS  
 GENEROSISSIMOS ATQUE NOBILISSIMOS  
 ACADEMIÆ CIVES  
 HUMANITER INVITAT  
 ÆMILIUS LUDOVICUS HOMBERGK zu Bach  
 JURIS IN MARPURGENSI ACADEMIA PROFESSOR  
 PUBLICUS ORDINARIUS.

---

MARPURGI CATTORUM,  
 TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYP.  
 M DCC XLIII.





ULTIMUS VOLUNTARIUS


VERBVM MENTE TESTATOR AD CASUS  
INCERTOS EXTENDENDIS

AD RECTIONES

ETAM RELEGENDIS QUAM RELEGATIS  
CUM RELEGENDIS QUAM RELEGATIS  
CUM RELEGENDIS QUAM RELEGATIS  
CUM RELEGENDIS QUAM RELEGATIS

AMITTIUS IUDICII NUNTIORUM  
IUS IN REBUS AD ACQUIRENDUM  
POTEST ORIGINARIA

ETIAM RELEGENDIS QUAM RELEGATIS  
CUM RELEGENDIS QUAM RELEGATIS  
CUM RELEGENDIS QUAM RELEGATIS  
CUM RELEGENDIS QUAM RELEGATIS







I qua in re JCcis limato exactoque ju-  
dicio opus, & si quid est, quod in  
tanta casuum diversitate circumsp-  
ctam in ferendis sententiis solitudi-  
nem desiderat: ultimarum certe vo-  
luntatum recta est interpretatio; in  
qua omnem prospera fortuna statum

sape numero periclitari nemo est qui ignorat. Quod  
enim leges interpretantibus solet accidere, ut spurias  
sape numero pro genuina illarum sententia nobis obtru-  
dant opiniones, id nec illos qui in supremis mortalium  
voluntatibus ordinandis versantur, in universum posse  
evitare, multi equidem non sine gravi bonorum jactura  
suo experti sunt exemplo. Neque nova hæc, sed ve-  
tus pridem & non nisi cum ipso humano genere defi-  
tura querela est, quæ Viros plane egregios eo deduxit,  
ut graviter disputent, an non consultius sit, & Reipub-  
licæ magis expediat, omnem cohibere testamentorum  
usum,



4 *Programma de Ultimis Voluntatibus ex verisimili*

usum, quam tot inde oriundis litibus, rixis, simultatibus, atque odiis Germaniam diutius committere? Miseras enim illas solennitates & peritissimos fallere, nec raro fieri ut Jcutorum cautelis involuti testatores dum omnem licitum materiam amputare student, controversissima condant testamenta: Germaniam contra, quamdiu testamenta ignoravit, sine lite fuisse. Quamvis autem horum sententia probanda non videatur, negandum tamen forte non est, multas evitari posse lites, multas contentiones, multa jurgia, si nimis Jure Romano ad ordinanda testamenta requisitæ solennitates referantur, & tota res testamentaria pristina restitueretur Juris Gentium simplicitati, qua sani hominis voluntas pro jure legitimo reputatur. Verum hæc solennitatum restrictio vix magis quam ipsa testamentorum abrogatio speranda est. Ut ut etiam vel maxime ad effectum illa perduceretur, minuerentur forsan, sed ideo non cessarent, quæ tot Regna & Provincias vexant vexabuntque super testamentis nihilominus exorituræ lites.

Est enim hoc naturæ humanæ ac intellectus infirmitati consequens, ut suprema ordinantes sibi in tanta contingentium multitudine omnes eventus rerum & in minimis præsertim obvias mutationes ob oculos ponere & a rixis omnibus perspicua & clara voluntatis suæ ordinatione, in qua nullus interpretationi, nullus conjecturis relictus sit locus, sibi suisque præcavere nequeant. Aut enim minus scribunt, quam disponere animus erat, aut plus dicunt, quem apud se habebant constitutum, aut quod pejus adhuc malum est, animi sensa exprimere nesci, obscura verborum nube involvunt mentem; quo fit, ut pro diversa ingeniorum ratione, eorumque



rumque passionibus & affectionibus variis, prout quisque vel amore vel odio in unam alteramve partem fertur, frontibus adversis pugnantes enascantur interpretationes. Et quemadmodum in arte peritissimis hæc accidere posse dudum est observatum, ita haud mirum peritiores consulentes eadem sæpe numero manere facta. Quamdiu itaque imperfecta illa durabit humanæ fortis conditio, tamdiu easdem mortales acturos esse querelas haud dubitandum est. Sola ergo eaque recta ultimarum voluntatum interpretatio est, quæ si non mederi, saltem subvenire his incommodis potest. Quemadmodum enim legum interpretatio suis nititur principiis, ita eandem in ultimis voluntatibus certis regulis adjuvari & dirigi posse adeo certum est, quam quod certissimum. Viros Doctos summa prorsus industria hoc egisse, ut principia hujusmodi nobis subministrarent, & ad certiore ac faciliorem interpretationis Theoriam viam panderent. Plane quæ in legibus interpretandis locum inveniunt principia, eadem quoque in ultimis voluntatibus declarandis usu non destituuntur. In contrariam quidem sententiam abiit F. DUARENUS (a) legum interpretationem a testamenti interpretatione multum differre ratus; sed minus determinate. Quando enim provisionem testatoris ad alium casum similem porrigi non posse, eo ex fundamento negat, revera nihil agit. In legibus Legislatoris, in testamentis defuncti voluntas omne absolvit punctum: sed utraque recipit interpretationem, non solum declarativam, sed & restrictivam & extensivam. Prolixe hæc persequi nunc quidem nec lubet, nec vaçat. Extensivam

A 3

saltem

(a) *Ad l. Gallus §. Et quid si tantum de lib. Et possib. Oper.*  
p. 336.



6 *Programma de Ultimis Voluntatibus ex verisimili*

saltem interpretationem quod attinet, gravissimam evol-  
vere constituimus quæstionem, num ex verisimili testato-  
ris mente possit extensio fieri de casu ad casum? Qua in re  
secernendi ante omnia sunt casus, quos testator verbis qui-  
dem expresse non est complexus, sub expressis tamen ex  
voluntate ejus continentur, ab iis, de quibus non cogitavit,  
adeoque nec quidquam disposuit, sed si cogitasset vel com-  
monefactus fuisset, verisimiliter certum in modum, non  
aliter disposuisset. De illis quid statuendum sit, non  
ambiguum: de his autem quid sentiendum in difficili  
positum est. Ac de conditionalibus quidem dispositio-  
nibus certum est, quæstionem moveri non posse. (b)  
Sed quantum ad puras, non desunt in utramque par-  
tem agitata Doctorum sententiæ. Qui negativam tuen-  
tur, imprimis urgent, varias esse hominum voluntates,  
varias affectiones & perraro sciri posse, quid moverit  
testatorem diversis passionibus agitatum, ut sub specie  
verisimilis voluntatis perniciose possit errari: multo tu-  
tius esse, si ea quæ in dispositionem haud transferunt,  
non attendantur. Neque enim nos plus velle debere,  
quam testator dixerit: in statu hoc conjecturali facile  
decipi nos posse (c) nec solam voluntatem, nisi in di-  
spositionem transierit sufficere: voluntatem in mente  
retentam nil operari, (d) nullamque dispositionem ad  
incogitata esse trahendam (e) & quæ plura alia sunt  
hujus-

(b) Vid. A. MERENDA *Con-  
trov. L. IV. C. II. n. 2.*

(c) Lectu digna sunt, quæ  
hanc in rem disserit C. A.  
THESAVRVS *Quæst. Forens. L.*  
*l. Qu. 17. n. 7.*

(d) Vid. MANTICA *de Conj.*  
*Vlt. Vol. L. III. T. XIX. n. 5.*

6. LAVTERBACH. *Conf.*  
*Tub. Vol. II. Conf. CLII. n.*  
49. *Vol. III. Conf. CXLIV. n.*  
18. KLOCK. *Vol. III. Conf. 102.*  
*n. 150.*

(e) JCTI TUBING. *Vol. III.*  
*Conf. 197. n. 33.*



hujusmodi Pragmaticorum dictata. Equidem non est diffidendum, quæ hunc fere in modum Auctores differunt legitima applicatione in foris haud destitui, & si vel ad naturam ipsam vel auctoritatem legum, quas afferunt, animum dirigamus, non omni illa plane fundamento carere. Spectant huc imprimis textus in l. 16. §. 3. ff. de testam. tut. l. 10. ff. de liber. & posth. l. 46. ff. de hæred. instit.

Secundum hos similesque textus regulam constituendam puto, quæ in dispositionem non transierunt, non attendenda, sed omissa a testatore, pro omittis habenda esse. Verum uti a Juris regulis discedendum est, quoties vel ipsa Lex, vel saltem æquitas exceptionem parit: ita etiam circa ultimas voluntates interdum contingit, ut ex benigna interpretatione, extendendæ sint ad casus de quibus testator nihil disposuit, & verisimiliter non cogitavit, sed tamen si commonefactus esset, dispositurus fuisset. Neque hæc insolentius dicta quis existimet, quod voluntatem defuncti omne punctum absolvere agnoscam, & nihilominus ad incogitata dispositionem ejus quandoque trahi posse asseram. Supponendum enim est, ex testamento manifestis indicis colligi posse, non solum quod, sed etiam quomodo testator dispositurus fuisset, si de casu omisso commonefactus, vel eum contingere posse suspicatus esset. Magna autem hic opus circumspectione, ne quod reliqui urgent, sub prætextu verisimilis voluntatis perniciose erretur, & sententiam firmo nitentem talo impugnandi ac tanquam damnosam rejiciendi occasio præbeatur.

Textus



8 *Programma de Ultimis Voluntatibus ex verisimili*

in non Textus quibus adstrui sententia nostra posset, adsunt complures, quos omnes afferre, explicare & a controversiis Interpretum liberare nec per otium nobis nec per spatii angustias licet. Ea saltem nobis evolvenda sunt legum momenta, quibus destrui possunt ex adverso motæ objectiones. His vero dissolvendis sufficere arbitramur JULIANI ac SCÆVOLÆ responsa in l. 13. ff. de lib. & posth. & l. 22. ad JCtum Trebell. ad quorum explicationem antequam progrediamur, in genere primum ostendendum est, verisimilem testatoris mentem præcipue sequendam esse. Nihil autem dilucidius ad id probandum MARCELLI loco in l. 24. ff. de reb. dub. Cum, inquit, in testamento ambigue aut etiam perperam aliquid scriptum est, benigne interpretari, & secundum id quod *credibile est cogitatum*, credendum est. Idem ULPIANUM sensisse apparet ex l. 47. pr. de Leg. 1. Legata mihi est res, quæ alio loco est, quam quo petitur. Primum quidem constat, ibi rem præstandam esse ubi relicta est, nisi alibi testator voluerit. Nam si alibi voluit, ibi præstanda est, ubi testator voluit, vel ubi *verisimile est eum voluisse*. Audiamus & PAPINIANUM in l. 102. ff. de Cond. & Demonstr. hunc in modum loquentem. Cum avus filium & nepotem ex altero filio hæredes instituisset, a nepote petit, ut si intra annum trigessimum moreretur, hæreditatem patruo suo restitueret. Nepos liberis relictis intra ætatem scriptam vita decessit: fideicommissi conditionem *conjectura pietatis* respondi defecisse, quod *minus scriptum quam dictum fuerat*, inveniretur. (f) Omitto reliqua testimonia, quibus ex verisimili mente testatoris ducta interpretatio non minus clare confirmatur,

(f) add. l. 50. §. f. de leg. 1. l. 74. eod. l. 64. de Leg. 2.



tur, ut nullus dubitandi superfit locus. Si quis tamen adhuc subdubitet, adeat is Per-Illustris & Excellentissimi JOAN. ULRIC. de CRAMER. *Spec. VIII. Usus Phil. Wolf. in Jure (g)* ubi quid verifimilis mens testatoris operetur, scientificè, ut solet, demonstravit.

Jam quod extensionem dispositionis testatoris de casu ad casum attinet, memorabile ejus exemplum refert JULIANUS in *d. l. 13. ff. de lib. & posth.* Scripserat scilicet testator: *si filius mihi natus fuerit, ex hęc heres esto, ex reliqua parte uxor mea heres esto: si vero filia mihi nata fuerit, ex triente heres esto: ex reliqua parte uxor heres esto.* Accidit mulierem & masculum parere & foeminam. Quid agendum & quomodo dividenda esset hęc hereditas, inter JCtos quibus quęstio proposita erat, dubitatum fuit. Ita vero illi rationes mihi subduxisse videntur. Testator in omnes eventus sibi prospectum voluit, quando utrumque in casum disposuit, siue filius nasceretur, siue filiam enixa mulier pareret. De geminis vero aut nulla mentem ejus subiit cogitatio, aut si quę subiit, nascituros esse non est suspicatus. Sed ne cogitasse quidem de geminis videtur. Nam si & hunc casum animo pręvidisset, atque voluntate sua complexus esset, sine dubio disposuisset de eo, quia latere eum non poterat, posthumi agnatione ruptum iri testamentum. Unusquisque autem ea intentione & voluntate esse creditur, ut omnino velit testamentum suum effectum fortiri. Quoniam igitur in casibus expressis ita mentem suam declaravit testator, ut exinde colligi possit, quid dispositurus fuisset, si uxorem duplici prole

B

eum

(g) de Hęcde non nominatim, sed ex voluntate testatoris pręsumta instituto.



eum parentem facturum scivisset, vel saltem hoc accidere posse commonefactus esset, etiam ad hunc casum dispositionem testatoris porrigendam esse æquum visum est. Perspiciebant enim JCti, quorum interpretationi testamentum committebatur, ea mente fuisse testatorem, ut si filium procreare mulierem contigerit, is altero tanto amplius haberet quam uxor: si filiam nasci in fatis fuerit, uxor altero tanto amplius habeat illa. Animadvertentibus insuper, utroque in casu uxori hæreditatis partem destinatum, licet diversam. Jam ubi gemini nati sunt, ex subtili Juris regula testamentum agnatione posthumi nec instituti nec exheredati ruptum intelligebant. Attamen quum testatorem ex utroque nato quocunque modo res ceciderit, aliquid habere voluisse uxorem appareret, in aliam sententiam humanitate suggerente decursum esse, eamque JUVENTIO CELSO aperitissime placuisse JULIANUS refert. Videlicet in septem partes hæreditatem dividendam dixerunt, ut ex his filius quatuor, uxor duas, filia unam haberet. Et hoc non sine summa ratione. Ita enim testatorem dispositurum fuisse, si de hoc casu cogitasset, inde fit verisimile, quod filium altero tanto amplius habere voluerit, quam uxorem, hanc vero altero tanto amplius filia. Jam si JULIANI divisionem, cum expressa hac testatoris mente comparemus, secundum voluntatem ejus JCtus ita calculum posuit, ut accedente persona tertia, filio pariter ac filia Geometrica proportione observata tantum decreveret, quo persona quælibet ex verisimili mente testatoris suam capiat partem, eadem tamen maneret tres inter personas proportionis ratio, quæ fuisset inter duos, si vel filius vel filia, non autem uterque natus esset. Ita namque in proparulo  
secundum



secundum mentem testatoris expressam ea ratione institutam esse divisionem & ad casum omissum productam, ut uxor cui utrumque in casum erat prospectum, ex verisimili testantis mente determinatam partem capiat, attamen filius altero tanto amplius haberet uxore, uxor nihilominus altero tanto amplius filia. Neque obstat, quod objicit A. MERENDA (b) verisimilem mentem, quæ efficiat ut credamus, testatorem dispositurum fuisse, non sufficere, ut omissum habeatur pro disposito, alias enim ne subtili quidem juris regula testamentum ruptum censerì posse. Non enim defendimus omissum ex verisimili mente testatoris ipso jure haberi pro disposito, sed quod ex æquitate interdum possit fieri extensio ad casum similem, de quo testator quidem non cogitavit, sed si cogitasset vel illum eventurum suspicatus esset, dispositurus fuisset. Quamvis ergo stricto, jure omissum pro disposito non habeatur, quia subtilis juris regula in contrarium est; ex æquitate tamen fit extensio, ut regula non obstante extensio recte fiat de casu ad casum, & quod in dispositionem non transit, minime negligendum & pro omissio habendum non sit. (i)

B 2

Hæc

(b) c. l. n. 15.

(i) Egregia plane est FRANCISCI HOTMANNI alias dissentientis, ad hanc legem observatio, qua Jctorum in inveniendâ proportionè Geometrica institutum nos jubet observare, ut cum usus venerit, imitari queamus. Est autem, inquit,

Operum T. II. p. 134. *Arithmeticoꝝ præceptis contentaneum, quorum quadripartita est regula: primum ut minimi cujusque personæ numeri quarantur: velut in hac causa: filia superatur ab uxore duplo, a filio vero quadruplo. Minimus ergo filia numerus est 1, Uxoris 2, filii 4.*



Hæc ita ex mente JULIANI: cujus sententiam nisi SCÆVOLÆ & ULPIANI stabiliret consensus, ipsius certe Imperatoris confirmaret auctoritas. Est nimirum in l. 22. ff. ad SCrum Trebell. talis species. Brasidas quidam Lacedæmonius, Vir Prætorius, duos ex justo matrimonio susceperat filios, Uxor ejus factò divortio marito secundo nubit, & hunc ea lege instituit hæredem, ut mortuo filiorum patre, a quo ipsa diverterat, hæreditatem restitueret filiis in potestate ejus relictis. Subsequitur mors uxoris. Filiorum pater superstes emancipatione eos de potestate dimittit. Emancipati fideicommissum petunt. Causa ad D. MARCUM relata, fideicommissum is præstandum judicavit, intellecta voluntate matris, *que quia non crediderat patrem eos emancipaturum distulerat in mortem ejus fideicommissum, non ditatura in mortalitatem, si eum emancipaturum sperasset.* Ex his planum fit, supposuisse D. MARCUM, non credidisse matrem, priorem maritum liberos emancipaturum. Unde dicendum videtur, de casu hoc utique cogitatum fuisse. Quare si casum cogitatione quidem sua complexa est testatrix, sed quia illum non eventurum suspicabatur,

*Tum deinde illi numeri conjungendi sunt, ut hic 7. Postea per hunc conjunctum universa ( v. gr. hæreditas 28. ) partienda est. Ut hic septima hæreditatis pars sunt 4. que filii tribuenda sunt. Tum hic numerus per proximum uxoris numerum multiplicandus, unde 8. nascuntur, que illi tribuenda sunt. Postremo per filii numerum, unde confici-*

*untur 16. que filii pars erit. Ita distributa erit summa tota 28. Idem in aliis textibus facere licet periculum, fecitque ipse HOTMANNVS: ut dubium non sit, quin modus hic inventiendi proportionem Geometricam & planissimum & maximi usus sit. multumque ad difficultum quorundam legum intellectum conducere possit.*



batur, nihil de eo disposuit, & nihilominus extensioni locus est: multo fortiore adhuc ratione dicendum, dispositionem testatoris etiam ad eundem casum extendendum esse, licet de eo nihil cogitaverit testator, dummodo verisimilis adsit conjectura, defunctum de eo dispositurum fuisse, si de eo cogitasset. Videlicet evidens est, matrem, si casum hunc eventurum suspicata esset, hereditatis restitutionem etiam in casum securæ emancipationis marito injuncturam fuisse. Ideo Imperator, & decisione ejus ad similia causarum fata dirimenda utentes JCti recte judicarunt, fideicommissum peti posse. Nam ex prioro matrimonio superstites liberos hæredes sibi elegerat mater. Ne vero ad patrem eorum inde quid redundaret utilitatis, forsitan quia pristinum nondum deferbuerat odium; ideo directe liberos non instituebat hæredes, neque in potestate constituitis, sed mortuo demum patre eorum fideicommissum præstari volebat. Cum autem præter opinionem eveniret, ut liberi per emancipationem a nexu patriæ potestatis liberarentur, cessante causa, ob quam fideicommissi restitutionem distulerat, opinione defunctæ citius fideicommissum petere posse liberos æquissimum visum fuit. Instat, quem laudavi MERENDA (k) Veteribus quidem JCtis hoc interpretandi genus concessum fuisse, nobis vero id abstulisse Imperatorem CONSTANTINUM M. in *l. i. C. de Leg.* ubi inter æquitatem & jus interpositam interpretationem sibi soli & licere & oportere inspicere discrete satis constituit. Sed incautum obijit CONSTANTINI sanctio. Hanc enim de iis saltem casibus intelligendam esse, in quibus manifesta est duræ legis sententia, Per-illustris Dominus DE CRAMER præclare animadvertit & demonstravit,

(k) *Contr. L. IV. C. II. n. 18a*



14 *Programma de Ultimis Voluntatibus ex verisimili*

vit, (l) ut, qui fecus sentiunt, vim ejus capere omnino non videantur.

Nec desunt textus & argumenta alia, quibus firmari doctrina utilissima, & dissentientium rationes confutari possent. Sed uberius hæc explicare instituti ratio non patitur. Sufficiat nobis evoluisse textus, unde solida peti possunt & sponte fluunt doctrinæ hujus principia, ex quibus interpretandæ sunt leges reliquæ. Unde satis patet, recte se habere Practicorum sententiam, qua pro disposito habetur & illud, de quo si fuisset interrogatus testator, respondisset, se ita sensisse, & ex mente testatoris præsumta dispositionem ejus extendi posse ad casus similes, de quibus nihil dispositum. (m)

Supereft, ut de *Prælectionibus* semestri hoc æstivo vel inchoandis vel absolvendis Generosissimos atque Nobilissimos moneam Commilitones. In Publicis *Lectionibus*, quarum initium e valvis proxime indicabo singulis Mercurii & Saturni diebus Hora XI - XII. vel etiam alia magis commoda, *Historiam Juris Romani* exponere consilium est. Ducem sequar illustrem K O P-

P I V M,

(l) in *Diss. de interpret. Statutorum* C. I. §. 4. Conf. III. a LEYSER *Spec. CCCCLXVI. Vol. VII. Medit. pag. 295. n. 4. G. NOODT ad tit. ff. de Legib. Oper. T. II. p. 14.*

(m) *Vid. MANTICA de Conj. Ult. Vol. L. III. T. XIX. n. 14. 15. SIMON DE PRÆTIS de interpr. Ult. Vol. L. III. Dub.*

III. *Solut. I. n. 75. seq. GOEDDÆUS Vol. II. Conf. 41. n. 6. 7. junct. n. 95. seq. Vol. III. Conf. 28. n. 64. 65, MOD. PISTOR. Vol. II. Conf. XI. n. 33. JCTI TVBINGENSES Vol. I. Conf. XXXI. n. 26. LÄUTERBACH, ibid. Vol. II. Conf. 163. SCHWEDER, Vol. VI. Conf. 96. n. 87. aliique ab his citati.*



*mente testatoris ad casus incogitatos extendendis.* 15

PIVM, quo Juris Romani originem, progressus, fata  
& in foris Germaniæ auctoritatem nemo concinnius,  
nemo accuratius, nemo ad scopum Prælectionum Aca-  
demiearum accommodatius delineavit. *Privatis* vero  
Lectionibus, quas D. V. d. 29. Aprilis auspicatorum sum,  
& quidem *Institutionibus* præeunte HEINECCIO ex-  
plicandis destinavi Horam XI-XII. *Pande&is* ad Eju-  
dem elementa tradendis per singulas hebdomadis dies  
Horam IX - X. Quibus ut interessè velint Academiae  
Cives, Legum Cultores extimos, qua par est humanita-  
te, invitatos cupio. Scripsi Marburgi Cattorum  
a. d. 8. Aprilis MDCCXLIII.

---

Pag. 3. lin. 12. leg. interpretandis. p. 8. l. 8. leg. SCtum.





12

1774. pro Just. Romani originem, progressus, seu  
in tota Germania abbas in unum conditus,  
nempe successores, nempe ad locum 1721. German. Ann.  
demonstratum accommodatis delinere. 1774. vero  
1. conditiones par. 17. d. 29. Aprilis suspensum fuit,  
et postea definitivum fuisse. 1774. vero ex  
placito decessit Henr. XI. RR. Lud. 17. ad hunc  
non clarum rursus per singulis, sed domus hinc  
Henr. IX. X. Oportet in interest vellet Academicis  
Oportet in Censoribus, quos per se hinc  
restituere, et 1774. M. unum conditus  
1774. M. unum conditus.

1774. M. unum conditus, p. 2. 1. 8. 12. 1774.













Marburg Diss., 1741-43

VD 18


ULB Halle 3  
005 034 809




TA → OL

1+ 85hell verdingoff









14

15

1743, 3.

PROGRAMMA  
DE  
ULTIMIS VOLUNTATIBUS

EX  
VERISIMILI MENTE TESTATORIS AD CASUS  
INCOGITATOS EXTENDENDIS.

P 293

QUO  
AD LECTIONES  
TAM PUBLICAS QUAM PRIVATAS  
CUM IPSO NOVI CURRICULI INITIO  
INCHOANDAS  
GENEROSISSIMOS ATQUE NOBILISSIMOS  
ACADEMIÆ CIVES

HUMANITER INVITAT  
ÆMILIUS LUDOVICUS HOMBERGK zu Bach  
JURIS IN MARPURGENSEI ACADEMIA PROFESSOR  
PUBLICUS ORDINARIUS.

MARPURGI CATTORUM,  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYP.  
M DCC XLIII.

